

XIII

IURAMENTUM ET INVESTITURA CITADINANTIE

1305 aprile 16, Grosseto

Neruccio di Neri da Montalcino, dopo aver prestato il giuramento richiesto dallo statuto del comune di Grosseto, viene investito della cittadinanza Grossetana dal podestà di Grosseto.

Originale, ASS, *Diplomatico, Archivio Generale*, 1305 aprile 16 [c. 487].

Regesti: ASS, *Ms. B 32*, p. 361, con data 1305 aprile 21; ASS, *Ms. B 87*, p. 406.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo CCCV, indictione tertia, die XVI mensis aprilis. Pateat omnibus evidenter quod Guccius Alberti et Cecchus Rodulfini presentatores novorum civium venientium noviter ad habitandum ad civitatem Grosseti electi a consilio generali dicte civitatis secundum formam statuti comunis civitatis predictae presentaverunt coram nobili milite domino Mino de Ranuccinis de Senis potestate civitatis predictae pro tribunale sedente in palatio dicti comunis in novum civem civitatis prefate Neruccium Nerii de Monterio, quia iuravit et promisit dicto domino potestate stipulante vice et nomine dicti comunis civitatis Grosseti esse continuus civis et habitator civitatis Grosseti et facere domum super cassaleno sibi concedendo a comune Grosseti muratam laterum et copertam cannellorum infra terminum in statuto dicti comunis contentum, et generaliter omnes et singulas facere factiones pro dicto comuni prout alii cives novi faciunt et tenetur ex forma constituti predicti; insuper dictus dominus potestas recepit eundem Nerium pro novo cive comunis Grosseti cum omnibus et singulis immunitatibus et franchisiis quas alii cives novi ex forma constituti comunis Grosseti habere debent, quas immunitates et franchitias ei dedit atque concessit et cum baculo quem in singnum dominationis habebat in manu de dicta citadinantia ipsum Nerium investivit. Actum in palatio comunis Grosseti, presentibus Sterpolino Nicoluççii et Nicoluccio Ferri testibus. (SN) Et ego Griffus notarius filius quondam Sensi de Perusi imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui et ut supra legitur requisitus scripsi et publicavi.